UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

# Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica

Ab anno Christi 1715. usque ad annum 1718

**Fleury, Claude**

**August. Vind. [u.a.], 1782**

**VD18 13322648**

§. 73. Summi Pontificis Constitutiones, variique argumenti Epistolæ.

urn:nbn:de:hbz:466:1-67649

Visual Library

„gratulationes, inventaque per Horatium Raſponium Equitem Jeroſolymitanum omni ex parte clarum, acceptumque, transmiſſi Enſis ac Pilei condecoratio, quæ tum ea, qua fieri potuit, ſolemnitate peracta, me non modo Divini favoris admonebit, verum etiam ad majores juſtæ Dei, Cæſaris, & Chriſtianæ cauſſæ excitabit conatus. Quos dum ſub tanto Pontifice felices ſpero, Divinam quoque opem in ſubſidium invoco, velit me acceptæ gratiæ dignum reddere. & Beatitudinem veſtram pro ampliori gloria ſuæ ſanctæ Cauſſæ & Cæſaris promotione diu ſalvam, incolumemque ſervare. cujus ſanctiſſimos pedes, dum omni cum reverentia exoſculor, reſpectuoſiſſima etiam cum veneratione maneo.„ Sæc. XVIII. A. C. 1716.

## §. LXXIII.

## *Summi Pontificis Conſtitutiones, & varii argumenti Epiſtolæ.*

Præterea ſummus Pontifex omnibus, publicisque Chriſtiani Orbis neceſſitatibus intentus, varias edidit Conſtitutiones, & quidem die octava Auguſti per ſpeciales literas Luſitaniæ Eccleſiaſticis in favorem Regis pro Turcici belli ſumptibus ſubſidium unius *Bull. magn. Clem. Conſt. 83. p. 164.*

 mil-

Sæc. XVIII
A. C. 1716.

millionis *Cruciatorum* impoſuit. Erexe-
rat quoque ſummus Pontifex ad Joannis
Luſitaniæ Regis preces Regiam Ca-
pellam ſeu Eccleſiam Ulyſſipone Luſi-
taniæ Metropoli in Collegiatam Eccle-
ſiam, in qua ſex dignitates, octode-
cim Canonicatus & duodecim Benefi-
cia inſtituit, cum autem Rex ad ho-
rum ſuſtentationem & decorem reditus
eſſe impares animadverteret, ſummo
Pontifici ſupplicabat, ut tres Parochia-
les Eccleſiæ de Regio jure Patronatus
cum omnibus illarum proventibus præ-
fatæ Collegiatæ Capitulari Menſæ in
perpetuum unirentur. Hiſce Regis vo-
tis die decima nona Septembris an-
nuens Pontifex, Bracharenſis Archi-
epiſcopi & Epiſcopi Lamacenſis Offi-
cialibus injunxit, ut ad harum Eccle-
ſiarum unionem procedant, illarumque
fructus huic Menſæ uniant. Paulopoſt
idem Rex hanc ſuam Collegiatam Ec-
cleſiam in Cathedralem ſub invocatio-
ne B. V. in cælos aſſumptæ erigi, &
tam Ulyſſiponenſem Urbem, quam Diœ-
ceſin in duos Archiepiſcopatus dividi
petiit. Denuo Pontifex ob valida au-
xilia contra Turcas præſtita Regis pre-
cibus ceſſit, & præfatam urbem & Diœ-
ceſin in duos Archiepiſcopatus parti-
tus eſt, ita, ut antiquo Archiepiſcopa-
tus civitatis pars verſus Orientem & novo

per

Sæc. XVIII.
A.C. 1716.

per ipſum Regem nominando, ac immediate S. Sedi ſubjecto Urbis pars verſus Occidentem relinquerentur, aſſignatis cuilibet ſuis ſuffraganeis: cum vero Canonici ſeu Capitulum Eccleſiæ Orientalis ſeu veteris nollet ſe ſubſcribere *Capitulum Orientale*, mox Occidentale Capitulum miſſo Notario illos interminatis etiam pœnis monuit, ut impoſterum in nullo penitus perturbarent jurisdictionem Patriarchalis Eccleſiæ Occidentalis, ſed inviolabiliter obſervarent a Pontifice diſpoſita. Ceſſit Orientale capitulum, ejusque acta Pontifex anno ſequenti confirmavit, ac inſuper Canonicis Eccleſiæ Occidentalis indulſit, ut etiam præſentibus Archiepiſcopis, aliisque Prælatis imo & Cardinalibus etiam Legatis de latere in hieme Cappam magnam rubei coloris cum pellibus armellinis & talari veſte rubea, in æſtate autem Mozetam rubeam geſtare valerent.

Poſtquam Auguſtinus a Nativitate Goanus Archiepiſcopus fatis ceſſerat, atque in ejus locum Sebaſtianus de Andrada Peſſarha ſuffectus erat, ſummus Pontifex die ſecunda Januarii hunc ſerio admonuit, ut caveat præſertim a perniciosiſſimis in ea regione a ſuo Prædeceſſore relictis exemplis. *Ille enim*, perſcripſerat Pontifex, *magna cum fide-*

**Sæc. XVIII.**
**A. C. 1716.**

*lium offenſione, nec minori cum ſui nominis*
*& Conſcientiæ labe Vicarios Miſſionarios,*
*aliosque adminiſtros ab hac ſancta Sede in*
*illis partibus deputatos acerbe ſemper inſe-*
*ctari conſuevit, imo etiam eo temeritatis ſe*
*abripi paſſus fuit, ut lato prius, nempe*
*die 22. Decembris 1704. ſuo edicto Cenſu-*
*ras quasdam Eccleſiaſticas a bon. me. Car-*
*dinali Carolo Thoma Maillard de Tournon,*
*tunc Patriarcha Antiocheno, noſtraque &*
*Apoſtolicæ Sedis Commiſſario ac viſitatore*
*in Sinarum, & aliis Indiarum Orientalium*
*Regnis cum ampliſſimis Facultatibus, etiam*
*noſtri, atque ejusdem Sedis de latere le-*
*gati a Nobis conſtituto contra nonnullos*
*Regulares in Diæceſi Melioporenſi,* (hu-
jus Diæceſis tum Epiſcopus erat Jeſuita,
quo ſubitanea morte extincto ſucceſſit
P. Franciſcus Lainez itidem Jeſuita,
qui contra Cardinalis Tournonii decre-
tum declamaturus, Romam miſſus erat,
& librum amplius 600. paginis vaſtum
ſub titulo: *defenſio Indicarum Miſſionum*
edidit) *promulgatas nullas & irritas de-*
*clarare non erubuerit. Subinde vero quo-*
*dam ſua Epiſtola Paſtorali data die 25.*
*Aprilis 1710. omnibus ſuis ſubditis ſub ex-*
*communicationis pœna, inaudito antehac*
*auſu, præceperit, ne præfato Patriarchæ*
*Antiocheno vel cuicunque alteri Vicario Apo-*
*ſtolico obtemperarent; pluraque forſan alia*
*gerere non dubitaverit in maximum Apo-*

*Relat. abregé de la Perſ. de la Chin. p. 267. 275. 283. 284. Vid. ſupra l. 213. §. 86. p. 318. tom. 67.*

*ſtolicæ*

ſtolicæ auctoritatis contemptum ac præju- Sæc. XVIII. A. C. 1716
dicium. Quæ ſane omnia ſuperius explicata, tametſi, uti per ſe manifeſte irrita, ac nullius roboris, ſpeciali caſſatione & abrogatione noſtra non indigerent, cum tamen ad abundatiorem cautelam a nobis jamdiu tanquam abſurda, temeraria, ſacrisque ſanctionibus adverſantia expreſſe improbata, reſciſſa, caſſata, damnataque fuerint: & nunc illa iterum, quatenus opus ſit, improbemus, reſcindamus, caſſemus, abrogemus, atque damnemus; adeoque uti vere irrita, inania, nulliusque prorſus efficaciæ vel momenti cum omnibus inde ſecutis ubique cenſeri debeant; diſtricte idcirco Tibi injungimus, ut cum primum Te ad Eccleſiam Goanam contuleris, alia quæcunque ab eodem prædeceſſore tuo contra memoratum Patriarcham Antiochenum acta, ſeu potius attentata compereris, expreſſe ſimiliter reſcindas, abroges, improbes, ac e medio tollas, & una cum aliis a Nobis, ſicut præmittitur, reſciſſis, abrogatis, improbatis & abolitis ab omnibus haberi decernas & mandes. Præterea cum pluribus Romanorum Pontificum prædeceſſorum noſtrorum conſtitutionibus caveatur, ut Vicarii & Miſſionarii Apoſtolici in Sinarum, Siami, & aliis Indiarum Orientalium Regnis conſtituta a quacunque pro tempore exiſtentis Archiepiſcopi Goani & aliorum Ordinariorum Juriſdictione & Superioritate prorſus exempti,

Sæc. XVIII. A. C. 1716.

*ac liberi ſint, Tibi ſub pœnis, quæ in ejuſdem Conſtitutionibus præſcribuntur, interdicimus, ac inhibemus, ne adverſus prædictos Vicarios Miſſionarios Apoſtolicos ullum Juriſdictionis actum exercere, neve Vicarios de Vara nuncupatos, ſive alios Miniſtros, & Officiales, quocunque tandem nomine nuncupentur, in locis, ubi ipſimet Vicarii Apoſtolici privative quoad omnes Indiarum, aliarumque Orientalium partium ordinarios, conſtituti ſunt, etiam in caſu alicujus illorum obitus conſtituere audeas: imo neque idipſum ab aliis Epiſcopis Metropolitico jure Tibi ſubjectis attentari ullo modo ſinas. Unde etiam Tibi inſuper jubemus, ut quos in proximo tuo ad præfatam Goanam Eccleſiam acceſſu a memorato prædeceſſore, vel Epiſcopis Suffraganeis tuis, deputatos hactenus fuiſſe inveneris, eos protinus ab Officio removere, & revocare omnino debeas, ſive ab iisdem Epiſcopis Suffraganeis reſpective removeri, ac revocari cures & mandes quamprimum, præfatis autem Vicariis Apoſtolicis, necnon Viſitatoribus, ceteriſque Miniſtris, qui a Nobis, & ab hac Sancta Sede in illis partibus hucusque deputati fuerunt, vel in poſterum deputabuntur, nullo modo nullum interponas impedimentum, quominus ipſi tributam ſibi juriſdictionem in locis aſſignatis exercere, & Facultatibus, quibus potiuntur, uti libere poſſint: ſed illis potius pro ea, quam nobis, & eidem ſanctæ*

Se-

*Sedi debes, reverentia & obedientia, ſa-* Sæc. XVIII.
*veas & aſſiſtas. Te demum in Domino quam* A. C. 1716.
*enixe hortamur, atque etiam Apoſtolica auctoritate in virtute ſanctæ obedientiæ Tibi præcipimus, & mandamus, ut jurisjurandi memor, quod in ſuſcipiendo Conſecrationis munere propediem emiſſurus es, debitam antedictis Apoſtolicis conſtitutionibus, ac omnimodam obedientiam ſincera, promptaque, ut decet, mente præſtes & quantum in Te erit, ab aliis etiam præſtari ſatagas: potiſſimum vero aliam noviſſime, nempe die 15. Martii anni proxime elapſi ſuper Ritibus, ſeu Cæremoniis Sinenſibus a Nobis editam Conſtitutionem, cujus initium eſt:* ex illa die, *quotiescumque opportuna Tibi ſe obtulerit, Miſſionariorum illac pertranſeuntium occaſio, ac præſertim per Suffraganeos Epiſcopos Comprovinciales tuos in Caſibus ab eadem noſtra Conſtitutione ipſis commiſſis exequi & obſervari cures, faciasque, ut illa, quantum in Te erit, plenarium ſuum, atque integrum, ut par eſt, ſortiatur effectum &c.*

Petierat jam anno priori Luſitaniæ Rex, ut Papa in Sinenſi Imperio tres novos Epiſcopatus erigere vellet: Verum Pontifex die quarta Januarii reſpondit, in præſenti perturbato rerum ſtatu, in quo Miſſiones Sinicæ reperirentur, haud ſibi conſultum videri, novos erigere Epiſcopatus, ſed id ad illud tempus

Sæc. XVIII. A. C. 1716

reſervandum, quo liberior atque felicior ibi Chriſtianæ Religionis propagatio ſperari poſſet. Rogabat tamen Regem, ut nuperam ſuam Conſtitutionem de Ritibus Sinicis inviolabiliter obſervari, & neceſſariam inter Miſſionarios illius Imperii concordiam foveri curaret.

Sub idem tempus Pontifex non ex vano rumore perceperat, quod Cyrillus Ritus Græci Archiepiſcopus Damaſcenus ſchisma ejurare, ſinceramque unionem cum Romana Eccleſia inire ſtatuerit, hinc Clemens Papa die nona Januarii datis literis eundem hortabatur, ut pium adeo conſilium rupta omni mora & ſublato omni impedimento perficere feſtinaret.

Petebant quidam Cathedralis Eccleſiæ Ratisbonenſis Canonici, ut Pontifex Clementem Auguſtum Bavariæ Electoris Filium de plenitudine poteſtatis absque Capituli electione Ratisbonenſi Epiſcopatui præficere vellet: Pontifex tamen die decima ſexta Februarii eorum precibus nequaquam deferendum cenſuit, partim ut electionis libertati Capitulo & Canonicis competenti plenius conſultum eſſet, partim ut S. Canonibus, & Germaniæ concordatis ſatisfieret: ſi vero hunc Principem Eccleſiæ ſuæ, & religioni tuendæ utilem

utilem fore cenſerent, ſua ſuffragia in eum conferrent, & tum Pontifex cum eodem in ætatis defectu aliisque impedimentis diſpenſaturum ſe, pollicebatur. Sæc. XVIII. A. C. 1716.

Eodem tempore, quo Pontifex gravi cum dolore perceperat, Theologicas Facultates Pariſinam & Nannetenſem factam Conſtitutionis *Unigenitus* acceptationem abrogaſſe, eidem nuntiatum erat, quod tam Michael Poncetus de La Riviere, Andegavenſis Epiſcopus, quam ejusdem Facultas Theologica erga eandem hanc Conſtitutionem publicam & ſolemnem obedientiam præſtiterint: quocirca die prima Maij datis literis Pontifex gratum memoremque animum erga utrumque profitebatur. Eadem officii teſtificatione die decima ſeptima Februarii honorabat Duacenſem Facultatem Theologicam, eidem ſignificans, quod præſidium atque auctoritatem Gallici Regentis implorarit, ut turbida ingenia, a quibus præfata Facultas vexabatur, coerceat, atque in officio contineat. Pariter die duodecima Octobris promerita laude proſequebatur Henricum Maſſilienſem Epiſcopum, eoquod ſingulari pietate, vigilantia, & conſtantia ſanam doctrinam propugnaverit, & refractariorum molimina fortiter repulerit, & ſi duriora

 adhuc

Sæc. XVIII. A. C. 1716.

adhuc ingruerent, ſe ærumnas & quaſcunque anguſtias Epiſcopali robore ſubire paratum ſe profeſſus fuerit: nec remiſſius die vigeſima Decembris Joſephi Graſſenſis Epiſcopi obſequium & obedientiam erga Conſtitutionem commendabat, eique tranſumptum mittebat Epiſtolæ ad Galliæ Epiſcopos, & ſententiæ contra Pariſinam Facultatem latæ. Cum autem Calviniſtæ in Pago Frehen Julienſis ditionis Templum pro ſuæ ſectæ exercitio erigere molirentur, Pontifex die decima quarta Novembris Clementem Colonienſem Archiepiſcopum & Carolum Electorem Palatinum enixe hortabatur, ut eorum conatibus fortiter obſiſtere pergerent: Demum annuente Pontifice Joannes Franciſcus Barbarigo Brixienſis Epiſcopus Academiam fundavit Eccleſiaſticam, in qua ſtatis horis & diebus diſcurſus de Theologia & de Hiſtoria Eccleſiaſtica tractantes inſtituerentur.

## §. LXXIV.

### *Congregationum deciſiones & decreta.*

*Bull. magn. Part. II. pag. 438. S. Congr. Rot. Rit. Indulg. &c.*

Occurrentibus etiam variis dubiis ſacræ Congregationes Romanæ plura condidere decreta; cum enim in Cæſenatenſi urbe Regulares quidam in quo-